



## **Opvs Theologicvm**

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

**Mauro, Silvestro**

**Romae, 1687**

Q. 236. Vtrùm sensualitas sit solùm appetitiua, & appetitus sensitius diuidatur in irascibilem, & concupiscibilem, tanquam in potentias diuersas, quæ obediunt rationi?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

## QVAESTIO CCXXXV.

*Vtrum appetitus sit aliqua specialis potentia anima, ac diuidatur in appetitum sensitium, & intellectiuium, qui sint diuerse potentia?*

*Sanctus Thomas quæst. 80. art. 1. 2.*

1. **P**ostquam Sanctus Thomas egit de potentij vegetatiuis, sensituius, & intellectiuis, quæst. 80. descendit ad agendum de potentij appetitiuis, quæ vt dictum est quæstione 230. constituunt quartum genus potentiarum animæ. Articulo igitur primo quærit, vtrum appetitus sit aliqua potentia specialis animæ?

2. Respondet affirmatiuè. Probatur primo auctoritate. Aristoteles enim lib. 2. de anima, text. 27. distinguit potentiam intellectiuam ab alijs generibus potentiarum, ac Damasc. lib. 2. de fide, cap. 12. distinguit vires appetitiuas à cognoscitiuis. Probatur secundo ratione. Nam quamlibet formam sequitur aliqua inclinatio proportionalis formæ: ex-gr. formam ignis sequitur naturalis inclinatio ad locum sursum, idemque iudic de reliquis formis; sed præter formas purè naturales dantur in animalibus formæ intentionales, quibus obiecta existunt in ipsis vt apprehensa, & cognita; ergo in animalibus præter inclinationem purè naturalem, quæ dicitur appetitus naturalis, datur etiam inclinatio superior ad bonum vt cognitum, & apprehensum, quæ spectat ad vim animæ appetitiuam, & distinguitur à potentia cognoscitiua, vt dictum est in philosophia quæst. 11. de anima, agendo de distinctione potentiarum animæ.

3. Articulo secundo quærit, vtrum appetitus sensituius, & intellectiuius sint diuerse potentia?

Respondet affirmatiuè. Probatur: nam potentia passiuæ mobiles, quæ definiuntur per hoc, quod sint passiuæ, & mobiles à diuersis actiuis, & motiuis, distinguuntur proportionaliter, ac actiua, & motiua, quia vnumquodque passiuum, & mobile secundum suam essentiam debet esse proportionatum proprio motiui, ad quod essentialiter ordinatur: sed appetitus est potentia mobilis ab appetibili vt apprehenso, ideoque Aristoteles 3. de Anima, tex. 57. dicit, quod appetibile apprehensum est mouens mobile, appetitus est mouens motum, quia mouetur ab appetibili apprehenso, & mouet alias potentias; ergo appetitus mobilis à diuersis mobilibus, ac diuerso modo apprehensis, sunt essentialiter diuersi; sed appetitus sensituius est mobilis à bono sensibili, & vt apprehen-

so per sensum, appetitus intellectiuius est mobilis à bono intelligibili, & vt apprehenso per intellectum, & per hoc definiuntur: ergo differunt proportionaliter, ac bonum intelligibile differt à sensibili, & apprehensio intellectiua differt à sensitiua. Confirmatur: nam intellectus differt à sensu per hoc, quod intellectus habet pro obiecto specificatio ens vt ens, ideoque potest cognoscere omne ens, & est potentia vniuersalis; sensus autem habet pro obiecto specificatio solum aliquod determinatum genus entis, nimirum ens sensibile, ideoque est potentia particularis; sed appetitus intellectiuius habet pro obiecto specificatio bonum vt bonum, ideoque potest appetere quodlibet bonum, & est appetitus vniuersalis: appetitus sensituius habet pro obiecto specificatio aliquod determinatum genus boni, & est appetitus particularis: ergo appetitus sensituius, & intellectiuius sunt diuersi, proportionaliter, ac differunt sensus, & intellectus, vt etiam dixi supra quæst. 165. num. 8. Ideo Aristoteles 3. de anima tex. 57. distinguit duplicem appetitum, & dicit, quod superior mouet inferiorem.

## QVAESTIO CCXXXVI.

*Vtrum sensualitas sit solum appetitiua: & vtrum appetitus sensituius diuidatur in irascibilem, & concupiscibilem, sicut in potentias diuersas, quæ obediunt rationi?*

*S. Th. q. 81. art. 1. 2. 3.*

1. **Q**uæstione 81. S. Thomas artic. 1. quærit, vtrum sensualitas sit solum appetitiua, an etiam sit cognoscitiua? ac vtrum nomine sensualitatis intelligamus solum aliquid spectans ad appetitum, vel etiam aliquid spectans ad cognitionem?

Respondet, quod sensualitas propriè est nomen appetitus sensitui, non autem sensus. Ratio est, quia sensualitas dicitur à motu sensuali, de quo S. Augustinus loquitur lib. 12. de Trinitate, cap. 12. & 13. & est principium, talis motus, proportionaliter, ac potentia visiva, quæ est principium visionis, dicitur à visione; sed motus sensualis propriè est operatio virtutis appetitiuæ, non autem cognoscitiuæ; ergo sensualitas propriè est appetitus, non autem sensus. Probatur minor: nam cognitio differt ab appetitione per hoc, quod per cognitionem res apprehensa sunt in cognoscente, per appetitionem autem appetitus inclinatur, & mouetur ad obiectum, ideoque cognitio comparatur ad appetitionem, sicut quies ad motum; ergo motus sensualis propriè spectat ad potentiam appetitiuam, non ad sensitiuam, ac proinde sensualitas, quæ est principium motus sensualis, non est sensus, sed appetitus sensituius. Sensualitas in tentatione

Qqq

homi-

hominis dicitur fungi officio serpentis in tentatione Heuæ, quia sicut Diabolus vsus est serpente ad Heuam tentandam, & inclinandam ad peccatum, sic vitur sensualitate ad homines tentandos, & ad peccatum inclinandos.

2. Articulo secundo quærit, vtrum appetitus sensituius distinguatur in irascibilem, & concupiscibilem, sicut in potentias diuersas?

Respondet, quod appetitus sensituius, qui dicitur sensualitas, est vna virtus genere, quæ diuiditur in duas species, ac duas potentias, quæ sunt irascibilis, & concupiscibilis, ideoque Gregorius Nyssenus, vel potius Nemesius lib. 4. de philosophia, cap. 9. & Damascenus lib. 2. de fide, cap. 12. dicunt irascibilem, & concupiscibilem esse duas vires, ac partes appetitus sensitui.

3. Probaturs: nam in rebus naturalibus corruptibilibus datur duplex inclinatio naturalis, altera, per quam prosequuntur conuenientia, & fugiunt inconuenientia, ac nociua; altera, per quam resistunt corruptentibus, & contrarijs, quæ impediunt conuenientia, & inferunt nocuentum: e. g. ignis non solum habet inclinationem ascendendi ad locum superiorem sibi conuenientem, ac recedendi à loco inferiori sibi disconueniente, sed etiam habet virtutem, & inclinationem resistendi corruptiuis, & impediendis; ergo proportionalitèr etiam in rebus sensituiis, & habentibus appetitum, qui est inclinatio dependens à sensu, non solum datur potentia, & inclinatio ad prosequenda sensibilia, quæ apprehenduntur vt conuenientia, & ad fugienda ea, quæ apprehenduntur, vt disconuenientia, sed etiam datur potentia, per quam animalia pugnant, & resistunt contrarijs, quæ apprehendunt vt impediencia conuenientium, & vt illatua disconuenientium, ac nociuorum; sed prima potentia vocatur concupiscibilis, cuius obiectum dicitur esse bonum sensibile secundum se; secunda potentia vocatur irascibilis, cuius obiectum dicitur esse bonum vt arduum, quia mouetur à bono arduo victoriæ: ergo in appetitu sensituiu animalium datur irascibilis, & concupiscibilis.

4. Superest, vt probetur irascibilem in appetitu sensituiuo esse potentiam distinctam à concupiscibili. Probaturs: nam dantur plures potentia sensituiæ etiam interiores, siquidem præter quinque sensus dantur quatuor potentia sensituiæ internæ, nimirum sensus communis, imaginatio, æstimatiua, & memoria, vt diximus quæst. 230. & in Philosophia, quæst. 29. & 30. de anima: ergo etiam dantur plures appetitus sensitui, irascibilis nimirum, & concupiscibilis. Probaturs consequentia. Nam ideo dantur plures potentia sensituiæ, quia potentia sensituiua non est vniuersalis, sed particularis, ac tales potentia non specificantur ab vna ratione communi omnibus, sed à pluribus rationibus; sed etiam appetitus sensituius est potentia particularis, & irascibilis,

ac concupiscibilis non specificantur ab vna ratione communi, sed à pluribus rationibus particularibus: ergo. Probaturs minor: nam concupiscibilis specificatur à bono, quod apprehenditur vt secundum se conueniens sensui: irascibilis specificatur à bono, quod apprehenditur vt arduum, siue à bono victoriæ, etiam si apprehendatur vt sensui disconueniens: animal autem sicut non potest apprehendere bonum, abstrahendo ab hoc, quod sit sensui conueniens secundum se, vel sit bonum victoriæ arduum, & molestum sensui, sed vile ad resistendum contrarijs, sic non potest appetere bonum sub hac ratione communi abstrahente: ergo virtus appetitiua non specificatur ab hac ratione communi; ergo specificatur à duabus assignatis rationibus peculiaribus, ac proindè diuiditur in duas potentias particulares, irascibilem nimirum, & concupiscibilem, quæ proindè distinguuntur.

5. Confirmatur: nam quia sæpè bonū, quod apprehenditur vt arduum, apprehenditur etiā vt secundum se disconueniens, & molestum sensui, ita allicit, & mouet irascibilem ad prosecutionem, vt concupiscibilem repellat, & moueat ad fugam: ergo irascibilis, & concupiscibilis specificantur à ratione boni, non solum diuersa, sed aliquiditèr contraria. Hinc vt docet S. Thomas, oritur, vt passiones irascibilis repugnare videantur passionibus concupiscibilis. Nam concupiscencia accensa vt plurimum minuit iram, ira accensa vt plurimum minuit concupiscenciam.

6. Addit Sanctus Thomas, quod *Irascibilis est quasi propugnatrix, ac defensatrix concupiscibilis, dum insurgit contra ea, quæ impediunt conuenientia, quæ concupiscibilis appetit, & ingerunt nociua, quæ concupiscibilis refugit. Et propter hoc omnes passiones irascibilis incipiunt à passionibus concupiscibilis, & in eas terminantur, sicut ira nascitur ex illata tristitia (quæ est passio concupiscibilis) & vindictam inferens, in lætitiā terminatur, quæ lætitia est passio concupiscibilis. Propter hoc etiam pugna animalium sunt de concupiscibilibus, scilicet de cibis, & venereis, vt dicitur lib. 8. de animalibus, cap. 1. Homines etiam brutalitèr viuentes propter hæc eadem pugnant, iuxta illud Iacobi 4. Vnde bella, & lites in vobis? nonne ex concupiscencijs vestris?*

7. Ex tradita doctrina afferri potest ratio, propter quam licet in appetitu sensituiuo concupiscibilis sit potentia distincta ab irascibili, tamen in appetitu intellectu, seu voluntate, concupiscibilis non sit potentia distincta ab irascibili. Ratio est, quia voluntas specificatur à ratione communi entis, ac veri; ergo sicut licet sint plures potentia sensituiæ, tamen vna est potentia intellectiua, sic licet plures sint appetitus sensitui, tamen vnus tantum est appetitus intellectu, & vna potentia volutiua, quæ vocatur voluntas. Vide dicta quæst. 166. de Angelis, num. 13. vbi ex hac eadem ratione probauimus in Angelis concupiscibilem

lem non distingui ab irascibili.

8. Propter allata fundamenta irascibilem distingui à concupiscibili docuerunt etiam Pythagoras, & Plato apud Plutarchum lib. 4. de placitis Philosophorum, Gregorius Nyssenus, vel potius Nemesius lib. 4. philosophiæ, Galenus lib. 6. de vsu partium, cap. 18. ac eadem opinio tribuitur Hieronymo, & Augustino, eamque secutus est Sanctus Thomas, tum hoc artic. 2. quæst. 81. tum quæst. 15. de verit. art. 3. Scotus tamen negauit talem distinctionem, eumque secutus est Suarius lib. 5. de anima cap. 4.

9. Articulo tertio quærit, vtrum concupiscibilis, & irascibilis obediatur rationi?

Respondet irascibilem, & concupiscibilem, ac proinde appetitum sensituum obedire tum rationi, tum voluntati, sed diuerso modo. Primo ergo appetitus sensituius irascibilis, & concupiscibilis in exercendis suis actibus obediunt rationi. Enumerantur autem communitè sex actus, seu passiones concupiscibilis, qui sunt amor, & odium; desiderium, & fuga; delectatio, & tristitia; & quinque actus irascibilis, qui sunt spes, & desperatio; audacia, & timor; ac demùm ira. de quibus agit Sanctus Thomas, 1. 2. q. 22. & sequentibus. Quod ergo circa hos actus exercendos concupiscibilis, & irascibilis obediatur rationi, probatur experientia. Nam potest aliquis, cogitando motiua amoris, aut odij, desiderij, vel fugæ, delectationis, aut tristitiæ, spei, aut desperationis, audaciæ, vel timoris, ac demùm iræ, excitare, vel augere in se tales affectus, vel passiones; potest etiam cogitando motiua contraria, eosdem affectus mitigare, ac minuire: ergo. Ratio desumitur ex eo, quod in animalibus appetitus sensituius mouetur ad operandum ab æstimatiua, per quam percipiunt aliqua obiecta vt conuenientia, vel disconuenientia, quæ vocantur obiecta insensata, seu intentiones insensatæ, puta qua concipiunt conuenientiam nidificandi, filios alendi, & qua ouis videns lupum, concipit illum vt sibi nocuum, ideoque timet, ac fugit, vt diximus quæst. 230. & explicauimus quæst. 29. de anima; sed ex dictis eadem quæst. 29. de anima in homine propter coniunctionem potentiarum sensituarum cum ratione, imaginatiua, & æstimatiua habent etiam vim cogitatiuam, per quam possunt sibi proponere obiecta, tum sensata, tum insensata, quodam ordine, & per quandam regulatam combinationem: hæc autem vis cogitatiua, quæ à quibusdam vocatur ratio particularis, quia est combinatiua particularium, nata est in homine moueri, ac dirigi secundum rationem vniuersalem: ergo in homine ratio vniuersalis, mouendo vim cogitatiuam, potest mouere appetitum sensituum, excitando, augendo, vel reprimendo in eo affectus, & passiones amoris, odij, iræ &c. ac proinde appetitus sensituius quoad exercitium suorum actuum obedit rationi, Quia verò actus applicandi ra-

iones vniuersales particularibus continent quemdam discursum, ideoque sunt opus potius rationis, quæ ratiocinatur, quam intellectus simpliciter, ac sine discursu intelligentis, ideo appetitus sensituius in exercitio suorum actuum dicitur potius obedire rationi, quam intellectui.

10. Secundo appetitus sensituius quo ad executionem suorum actuum per virtutem motiuam in homine obedit voluntati. Probatur, & explicatur experientia. In brutis enim, quia non habent appetitum superiorem sensituium, ad actum appetitus sensitui sequitur motus: e. g. ouis, viso lupo, timet, & fugit. At in homine membra, etiam posito actu appetitus sensitui, non mouentur, sed expectant imperium voluntatis: ex. gr. homo, etiam si timeat, non statim fugit, nisi velit fugere, & si nolit fugere, non fugit; non statim, ac irascitur, mouetur ad vlciscendum, sed nisi velit, non mouetur ad vlciscendum. Ideò appetitus sensituius, & inferior non sufficit ad mouendum, nisi voluntas, seu appetitus superior consentiat. In hoc sensu Aristoteles lib. 3. de anima, tex. 57. dicit, quod appetitus superior mouet appetitum inferiorem, sicut spheræ superior inferiorem. Dantur tamen in homine aliqua membra, quæ sæpè mouentur ab appetitu sensituiuo, non expectato imperio voluntatis.

11. Addit Sanctus Thomas in resp. ad 3. *Quod sensus exteriores indigent ad suos actus exterioribus sensibilibus, quibus inveniuntur, quorum presentia non est in potestate rationis, sed vires interiores tam appetitiuæ, quam apprehensiuæ, non indigent exterioribus rebus, & ideo subduntur imperio rationis, quæ potest non solum instigare, vel mitigare affectus appetitiuæ virtutis, sed etiam formare imaginatiuæ virtutis phantasmata.* Patet experientia: nam possumus per compositionem phantasmatum imaginari montes aureos, & alia huiusmodi; per diuisionem verò phantasmatum possumus imaginari sensibilia communia, nimirum magnitudines, figuras, motum, quietem, ac numeros, abstrahendo à sensibilibus propriis, in quo consistit abstractio mathematica. Hæc autem vis componendi, & diuidendi phantasmata, & excitandi varios actus imaginationis, est homini summo opere utilis, & necessaria ad contemplationem veritatum, tum speculatiuarum, tum practicarum, vt explicauimus qu. 29. de anima.

12. Quæritur, vtrum ratio dominetur appetitui sensituiuo, ac irascibili, & concupiscibili, imperio despotico, vel politico.

Respondet Sanctus Thomas hoc art. 3. quæst. 81. in resp. ad 2. quod vt docet Aristoteles 1. Polit. cap. 3. duplex est imperium, despoticum, & politicum. Despoticum est, quo dominus ita imperat seruis, vt debeant seruiliter obedire, ac in nullo repugnare. Politicum est, quo Princeps imperat subditis liberis, qui debent ita obedire, vt in aliquibus possint repugnare. In animali proportionali-

tèr inuenitur vtrumque imperium. Nam anima exercet in corpus quoad motum localem imperium despoticum. Mouet enim manus, pedes, & cetera membra, prout voluerit, nec membra possunt repugnare. At ratio exercet in appetitum sensitium imperium politicum, cui appetitus potest repugnare. Ratio est, quia appetitus sensitius non solum mouetur ab aestimatiua in brutis, & in homine à cogitativa directa per rationem vniuersalem, sed etiam ab imaginatiua, & à sensu per sensationes presentes. Ideo experimur, quod aliquando irascibilis, & concupiscibilis repugnat rationi, dum irascimur, vel concupiscimus contra imperium rationis, quia sentimus, vel imaginamur aliquid delectabile, vel aliquid mouens ad iram contra præscriptum rationis. Adde voluntatem corpori quoad aliquos motus dominari imperio solum politico, ita vt corpus aliquando moueatur quibusdam motibus contra imperium voluntatis.

### QVÆSTIO CCXXXVII.

*Virum voluntas omnia, vel aliqua appetat necessario: sit potentia perfectior, vel imperfectior intellectu: moueat intellectum, vel ab intellectu moueatur; & in ea irascibilis distinguitur à concupiscibili?*

*S. Thom. quest. 82. art. 1. 2. 3. 4. 5.*

1. **S**anctus Thomas quest. 80. egit de appetitu in genere, quest. 81. de appetitu sensitivo, questione igitur 82. disputat de appetitu intellectiuo, hoc est de voluntate. Articulo igitur primo querit, vtrum voluntas aliquid appetat ex necessitate?

Respondet, quod multipliciter potest aliquid esse necessarium, ita vt non possit non esse. Primum potest esse necessarium ex principijs intrinsicis: & quia duplex est principium intrinsecum, materia, & forma, ideo potest aliquid esse necessarium, vel ratione materiae, vel ratione formae. Ex. gr. ratione materiae necessarium est, vt quod componitur ex contrarijs, aliquando corrumpatur: ratione autem formae, seu quidditatis, & essentiae necessarium est, vt triangulum habeat tres angulos æquales duobus rectis, & hæc necessitas ab intrinseco dicitur naturalis. Secundo potest aliquid esse necessarium ab extrinseco: & quia duplex est causa extrinseca, finis, & agens, ideo potest aliquid esse necessarium ratione finis, vel ratione agentis. Necessarium ratione finis est illud, sine quo non possumus aliquem finem consequi, vel simpliciter, vel bene. E. gr. cibus est simpliciter necessarius ad conseruandam vitam, at equus est necessarius ad iter, non simpliciter, sed ad bene, & commodè faciendum iter, & hæc vocatur necessitas finis,

vel etiam necessitas vtilitatis. Necessarium ex agente est id, ad quod aliquid agitur ab agente extrinseco contra suam inclinationem, ita vt non possit illi resistere: & hæc vocatur necessitas violentiæ, vel coactionis.

2. Hoc supposito, ponit S. Tho. tres conclusiones. Prima est: repugnat vt voluntas ad actum volendi necessitetur necessitate coactionis. Probat: nam sicut violentum est, quod est contra inclinationem naturæ, sic coactum est, quod est contra inclinationem voluntatis; & sicut naturale est, quod est iuxta inclinationem naturæ, ita voluntarium est, quod est iuxta inclinationem voluntatis; sed repugnat, vt aliquis motus naturalis sit simul violentus; alioquin esset simul contra, & secundum inclinationem naturæ; ergo repugnat, vt aliquis motus voluntarius sit simul coactus; alioquin esset simul contra, & secundum inclinationem voluntatis, siquidem actus, seu motus voluntatis est quadam inclinatio voluntatis. Sed de hoc puncto ex professo disputauit lib. de Actibus humanis in tractatu de voluntario, quest. 10. in qua quaesit, vtrum voluntas possit pati violentiam, vel coactionem, & qu. 15. num. 6. & sequ.

3. Secunda conclusio est: non repugnat, vt actus voluntatis sit necessarius necessitate finis. Probat: nam supposito, quod voluntas intendat finem, necessarium est, vt velit, & eligat medium vnicè necessarium ad illum finem: ex gr. quia nauis est medium vnicè necessarium ad nauigandum, ex suppositione, quod aliquis velit nauigare, necesse est, vt velit yti naui.

4. Tertia conclusio est: non repugnat etiam voluntati necessitas naturalis, qua ex sua natura necessitetur ad aliquem suum actum. Probat: nam sicut intellectus necessitate naturali assentitur primis principijs, sic voluntas necessitate naturali vult suum vltimum finem, hoc est beatitudinem, illique immobiliter adhæret. Ideo Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 4. dicit, quod beatitudinem omnes vna voluntate appetunt; si autem appetitus beatitudinis non esset necessarius naturali necessitate, deficeret in aliquibus. Ratio autem est, quia finis ita se habet in operatijs, seu practicis, sicut principia in speculatijs, vt docet Aristoteles 2. physic. text. 89. Addit Sanctus Thomas: *Oportet enim, quod illud, quod naturaliter alicui conuenit, & immobiliter, sit fundamentum, & principium omnium aliorum, quia natura rei est primum in vnoquoque, & omnis motus procedit ab aliquo immobili.* S. Augustinus ergo lib. 5. de Ciuit. cap. 10. dicens, quod si aliquid est necessarium, non est voluntarium, loquitur de necessitate necessitate coactionis, quod opponitur voluntario, siquidem amor beatitudinis est maximè voluntarius, licet necessarius necessitate naturali. Sed de necessitate voluntatis ad beatitudinem appetendam egi ex professo lib. de Actibus humanis quest. 13. num. 11. & sequentibus.

8. Ar.